BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

SICILIÆ SACRÆ

CELEBERRIMI ABBATIS NETINI

D. ROCCHI PIRRI

ADDITIONES, ET CORRECTIONES.

Vincentius Prior Petroso D. D. D.

BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

SICILIÆ SACRÆ

CELEBERRIMI ABBATIS NETINI

D. ROCCHI PIRRI

ADDITIONES, ET CORRECTIONES,

AUCTORE

ANTONINO MONGITORE

PANORMITANO

Metropolitanæ Eccleſiæ Panormitanæ Canonico, Judice Synodali, & in SS. Inquiſitionis Siculæ Tribunali Qualificatore, & Conſultore.

EDITIO SECUNDA CORRECTIOR, & multorum acceſſione auctior.

Ex libris mei Regij Beneficiali Luciani Falcone Urbis Calaxibetæ...

BIBLIOTECA COMUNALE PALERMO

PANORMI MDCCXXXV.

Typis Angeli Felicella.

SUPERIORUM FACULTATE.

BIBLIOTECA COMUNALE DI ENNA

LECTORI BENEVOLO

ANTONINUS MONGITORE.



Ciliæ Sacræ Notitiæ à præstantissimo Abbate Roccho Pirro, Netino, improbo labore scriptæ, (solertissimus enim fuit in disquirendis Antiquitatis monumentis, ac Regiis Tabulariis pervidendis) plures in tomos distributæ primùm Panormi prodiere ab an. 1630. ad 1649. Exinde Lugduni Batavorum in *Thesauro Antiquitatum, & Historiarum Siciliæ* anno 1723. operâ Petri Vander Aa, nitidissimis sanè typis unico tomo complexæ. Tertiùm verò Venetiis anno 1733. ex Typographia Sebastiani Coleti, etsi Panormi excusæ duobus tomis videantur. Hæc tertia editio in lucem prodiit cum Additionibus, ac Correctionibus meis suos in locos dispertitis. Accessere ad hanc editionem Notitiæ Abbatiarum Ordinis S. Benedicti, Cistercienſium, Montis Oliveti, aliorumque, quas Pirrus morte præventus non ediderat, ab eruditissimo P. D. Vito Maria Amico Casinensi scriptæ. At hæc postrema editio quanquàm sperabatur aliis præstantior, cùm sacra Siciliæ historia ad usque nostra tempora protracta; attamen aliis infelicior censeri poterit: tanta enim in eam irrepsit errorum copia, ut Additiones edidisse pœniteat. Grammatices sphalmata, nomina inversa, annorum notæ permutatæ, additiones vel extra locum appositæ, vel omissæ, aliaque innumera errata in hac editione passim occurrunt. Ut tanto vulneri medela quoquo modo adhiberi possit, prælaudatus Amicus recudere statuit Catanæ Notitias ab ipso scriptas, quod anno 1732. præstitit magna cum rerum accessione. Necessarium etiam videbatur has meas Additiones men-

dis

dis expurgatas typorum beneficio publici juris facere; ideoque urgentibus amicorum precibus, quibus obsistere nefas arbitratus sum, iterum opus emissum est in lucem, multis additionibus adauctum. Ad hanc præsertim editionem accessere nonnulli Præsules, in hac temporis intercapedine noviter electi, demortuis suffecti. Errata quantùm licuit, correcta sunt; & notitias uberiores damus. Multis non ingratum fore opus speramus, iis præsertim, qui Pirri *Siciliam Sacram* ex prima editione habent; itaque his Additionibus absoluto gaudebunt opere, ad hæc nostra tempora deducto; istis etenim necesse non erit ad Venetam mendosam editionem accurrere. Opus feliciori omine in lucem prodit (ex quo mihi gratulor) eo sanè anno, cùm Panormus festivis acclamationibus undique resonat ob faustissimum appulsum CAROLI III. Borbonii, Hispaniarum Infantis, Siciliæ, ac Neapolis novi Regis, Parmæ Ducis, &c. Panormum quippè Siculi Regni Metropolim, & Caput ingressus, festis facibus per omnes Urbis vias, & angulos collucentibus, aulæis, pompisque ubique effulgentibus, Urbe ad magnificentiæ theatrum composita, a Civibus undiq. cujuscumque ordinis multa lætitiæ specimina ingeminantibus exceptus, & Rex est salutatus. Triumphales undique moles, arcus, cultu, & elegantia egregia, acclamationes, & plausus præconceptum omnium gaudium commonstrant. Nil non magnificum, & supra communem modum, adeò ut unquam retroactis sæculis splendidius quidquam demiratum. At hæc feliciori calamo enarranda relinquimus. Excipe bono animo Lector, quæ tibi profero, & vale.

PROTESTATIO AUCTORIS.

Quæ in hoc Opere narrantur, præsertim quo ad miracula, utrosque, qui sanctitatis fama claruerunt, accipienda juxta Decreta Urbani VIII. Pont. Max. edita 5. Junii 1631. & Sanctæ Universalis Romanæ Inquisitionis die 13. Martii 1625. & 5. Julii 1634. iis tantùm exceptis, quæ S. Romana Catholica Ecclesia hactenus probavit.